

Lecto decreto, ipse Rmus Præses effectivus professionem fidei juxta formulam Pii IV et Pii IX flexis genibus emittit, ut in cærimoniali.

Deinde singuli Archiepiscopi et Episcopi accedunt ad Præsidentem et pariter flexis genibus dicunt :

Et ego N.N.

Archiepiscopus vel Episcopus N.

recipio, promitto, spondeo, profiteor, detestor, anathematizo, voveo et juro, in formula professionis fidei modo lecta, singula singulis referendo.

Et imponentes utramque manum super Evangelium adjungunt : *Sic me Deus adjuvet, et hæc Sancta Dei Evangelia.*

II

FORMULÆ DIVERSE PRO CONCILII PROMOTORIBUS.

1.—*Pro Concilio aperiendo.*

Quoniam dies faustissima et omnibus nobis letissima hodie advenit quo Concilium Plenarium Primum Canadense celebrandum sit, et omnes qui huic Concilio de jure et consuetudine interesse debent, hic in Domino congregatos esse videamus, nos N.N., hujus Concilii promotores nominati et constituti, instamus et supplices oramus ut hoc Concilium aperiendum et jam apertum esse decernatur.

2.—*Pro decretis præliminaribus.*

Secundum antiquam Ecclesie disciplinam ille semper usus observatus est, ut in initio Concilii Plenarii varia decreta ederentur et prælegerentur. Hæc decreta sunt :

De iudicibus excusationem et causarum personalium.

De commissione ad "novas materias."